



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 80. Apamiensis Episcopus cunctis Ecclesiæ suæ proventibus spoliatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

§. LXXX.

Sæc. XVII.
A. C. 1678.*Apamiensis Episcopus cunctis Ecclesie suæ proventibus spoliatus.*

Defuncto Pavillonio Aleſtenſi Episcopo totum Regiæ indignationis pondus in perniciem solius Francisci Stephani Apamiensis Episcopi incubuit, quamprimum enim Regaliæ Patroni, huiusque Præſulis hostes, nuperæ excommunicationis adhuc memores, compererant, quod præſatus hic Episcopus pariter in Regaliſtas Ecclesiæ censuras intermiſſet, mox vices repensuri a Regio Senatu edictum die vigesima octava Novembris procurarunt, vi cuius Apamiensi Episcopo sub privationis pœna omnium proventuum temporalium injungebatur, ut intra duos menses juramentum fidelitatis, tanquam agnitæ Regaliæ pignus, ad acta publica referri curaret, cunctosque ad Canonicatus, vel alia Regularia Ecclesiæ Apamiensis beneficia vi Regaliæ admotos reciperet: Quoniam vero Episcopus hac ratione Ecclesiasticam immunitatem, qua hucusque omnes Tolosanæ Provinciæ Ecclesiæ fruebantur, graviter violari arbitraretur, potius proventuum jacturam pati, quam Pastoralis officio deesse voluit; hujus

Sæc. XVII. hujus vero sui propositi rationem Regi
 A.C. 1678. redditurus, die vigesima Januarii ad
 eundem has dedit literas: „Patiatur
 „Majestas vestra, humillimas preces
 „meas, quas videlicet necessitas hujus
 „causæ expressit, sibi deferri, quasque
 „tanto confidentius spero auditum in
 „quod ab Episcopo & in causâ Eccle-
 „siæ prolatas; cum alias semper ma-
 „gnorum Principum fuerit, etiam in
 „negotiis temporalibus querelas subdi-
 „torum gemitusque excipere. Enim-
 „vero si liceret ante oculos Majestatis
 „Vestrae cor meum intimasque cogita-
 „tiones expromere, videret ipsa id
 „quod animum meum perstringit, non
 „esse metum proventus temporales
 „mittendi; cum enim in sacris canonibus
 „didicerim, Ecclesiasticos fructus
 „esse bona Deo consecrata, nihil aliud
 „ex iis mihi reservatum volui, quam
 „curam administrationemque mei
 „conomi: sicque meam personam ac
 „particulare commodum quod attinet,
 „quidquid divina providentia permise-
 „rit, pacatissime feram. Id solum
 „Majestate Vestra petere mihi liceat,
 „ut si quidem alicujus me culpæ reum,
 „poenaeque dignum crediderit, digne
 „tur ea tantum fructuum parte mul-
 „tare, quæ sustentandæ personæ meae
 „ac necessitati parce adhibetur, nec
 „enim

„enim me pudebit fidelium pietatem Sæc. XVII.
 „ac Eleemosynas implorare; tantum A.C. 1678.
 „ne hac poena & calamitate mea quam-
 „plures alii ac innocentes involvantur.
 „Cogor enim Majestati Vestræ signifi-
 „care, proventus illos, qui ex Consilii
 „sententia subducti mihi sunt, ad alen-
 „da duo Seminaria, in quibus Clerici
 „animarum saluti ac curæ addicti ma-
 „gnoque numero sustentantur, ad fa-
 „bricandam ædem cathedralem hære-
 „ticorum furore plane destructam, ad
 „reparandas ornandasque reliquas diæ-
 „cesis Ecclesias, ad alendos tegendos-
 „que pauperes, qui plurimi sunt, &
 „qui hoc subsidio destituti ad extre-
 „mam necessitatem adigentur, & de-
 „nique ad exsolvendum æs alienum,
 „quod ut omnibus his expensis par es-
 „sem, contrahere necessario debui, quod
 „ergo ante hæc omnia animum meum
 „intime ferit, illud est, me licet ar-
 „dentissimo desiderio ferar nihil agendi,
 „quod Majestatem Vestram vel levissi-
 „me offendat, non posse salva, quam
 „Deo ejusque sponsæ debeo, fidelitate,
 „Decreto mihi nuper significato obtem-
 „perare. Neque enim nisi anathemata
 „a sacris Conciliis vibrata experiri ve-
 „lim, cooperari, immo ne consentire
 „quidem possum, ut Ecclesia juribus
 „spolietur fidei meæ commissa, inter ea
 „vero

Sæc. XVII. „vero jura unum e præcipuis maxime
 „A. C. 1678. „que spiritualibus est libertas confe-

„rendi beneficia Ecclesiastica, quam
 „libertatem Regalia omnino demoli-
 „tur: hæc vero in quamplurimis Re-
 „gni Gallici provinciis nunquam locum
 „habuit, id quod ex edictis Galliæ Re-
 „gum Majestatis Vestræ Prædecesso-
 „rum, & Parlamentorum, & Cameræ
 „parisiensis protocollis, & ex Doctrinæ
 „Authorum, qui ante edictum Par-
 „lamenti parisiensis de Anno 1608. de
 „hoc argumento scripsere, & quorum
 „aliqui in præfata Camera computo-
 „rum publicis officiis fungebantur, ma-
 „nifeste probari potest. Philippus Pro-
 „bus Vir insignis, probatæque Doctri-
 „næ, & cui Regalia odio esse non po-
 „erat (nam Regaliæ titulo in Ecclesia
 „huic servituti obnoxia beneficium ob-
 „tinuerat) non contentus Ecclesias in
 „genere designasse Regaliæ immunes,
 „Episcopatus quoque in particulari e-
 „numerat, exemptos liberosque, &
 „præsertim Tolosanæ provinciæ, quo-
 „rum primam hanc Apamiensem con-
 „stituit. „

„Enimvero non potest hoc jus Re-
 „galiæ ad Majestatem Vestram perti-
 „nere, nisi uno ex sequentibus titulis,
 „videlicet aut præcise, jure regio: aut
 „titulo universalis omnium Ecclesiarum
 „fuit

„fundatoris: aut beneficio possessionis Sæc. XVII.
 „memoriam hominum excedentis: aut A.C. 1678.
 „denique Ecclesiæ privilegio.”

„Qui conati sunt persuadere Maje-
 „stati Vestræ, jus Regaliæ tota Gallia
 „extendi, id principium assumpserunt,
 „ut dicerent, Regaliam jus esse coro-
 „næ annexum, ideoque inalienabile,
 „& impræscriptibile; quo fundamento
 „nixi adjecerunt, quemadmodum re-
 „gium diadema rotundum est, eaque
 „figura designat, coronam regiam com-
 „plecti omnia; sic quoque Regaliam ad
 „omnes Regni Ecclesias proferri, nulla
 „excepta. Sed permittat Majestas Ve-
 „stra, ut libere dicam, nihil cogitari
 „posse hac Maxima inanius minusque
 „fundatum. Qui enim fieri potest, ut
 „jus beneficia Ecclesiastica conferendi,
 „quod spirituale omnino est, a Regia
 „potestate & corona dependeat? plane
 „nihil aliud hoc est, quam spirituales
 „& temporalem confundere potestatem,
 „Ecclesiarum ac Principum jura com-
 „miscere, & vero si hoc tantique mo-
 „menti jus adeo Regiæ Dignitati ad-
 „iunctum est, qui fieri potest, ut Mi-
 „nistri Regum Majestatis Vestræ præ-
 „decessorum tot Sæculorum cursu illud
 „ignoraverint? an vero aut neglige-
 „bant, aut nesciebant, quid Regibus
 „deberetur? & ipsum parisiense Parla-
 „mentum.

Hist. Eccles. Tom. LXIV.

R

men-

Sæc. XVII. „mentum, si hanc Maximam veritati
A. C. 1678. „consentaneam credidisset, num au-

„sum aliquando esset (quod tamen ali-
 „quoties fecit) Regibus onus hanc pos-
 „sessionem probandi imponere, cum de
 „nonnullis Ecclesiis controversia move-
 „retur? Sed nec solum hoc Galliae Re-
 „gum esset privilegium, sed omnium
 „omnino coronam gestantium, qui eo-
 „dem jure eademque ratione Rega-
 „liam, qua late dominantur, vendi-
 „care sibi possent; ideo Lugdunensi
 „Concilium, cum titulos recenset, eos
 „quos permitti Regalia possit, solius
 „fundationis & antiquæ possessionis
 „mentionem facit. „

„Alii ergo, qui fallacis hujus Ma-
 „ximæ inanitatem cernunt, diffidunt
 „que tam fragili fundamento, ad ali-
 „se vertunt, & Majestati Vestræ tan-
 „quam omnium Regni Ecclesiarum fun-
 „datori Regaliam attribuunt. Cæte-
 „rum si Majestas Vestra observare dignata
 „fuerit, Ecclesiæ Apamiensis proven-
 „tus in solis merisque decimis (quos
 „Deus sibi reservavit, & quarum dis-
 „pensationem Ecclesiæ Ministris reli-
 „quit) consistere, ipsamet facile con-
 „cludet, non fuisse Ecclesiam Apamiensem
 „sem a Regibus ejus Majoribus dota-
 „tam. Quod vero supra decimas est
 „tam parvi est momenti, ut non cre-
 „dam

„dam tam modicæ rei intuitu voluisse Sæc. XVII.
„Reges hujus Ecclesiæ fundatores ap- A. C. 1678.

„pellari. Quamquam etsi demus fun-
„datores appellandos esse, quis nescit,
„solam dotationem, si privilegium Ec-
„clesiæ absit, non sufficere, ut quis
„possit beneficia Ecclesiastica conferre,
„ac Ministros Ecclesiæ constituere? „

„Possessionem quod attinet, certissi-
„mum est, nunquam hoc jus a Maje-
„state Vestra in Apamiensi Ecclesia
„exercitum esse, nec ullum exemplum
„ostendi poterit. „

„Denique tantum abest, Ecclesiam
„hoc jus extendendæ Regaliæ Princi-
„pibus concessisse, ut potius se illis e-
„nixe opposuerit, tunc videlicet, cum
„in Concilio Lugdunensi statuit, ne Re-
„galia ad loca extenderetur, in quibus
„recepta hactenus non fuerat: & quam-
„vis Clerus Gallicanus sæpe Majestatis
„Vestræ protectionem implorarit, ad-
„versus eorum molitiones, qui contra
„antiquam nativamque Ecclesiarum li-
„bertatem Regaliam inducere conaban-
„tur, non ideo tamen libertati ac ju-
„ribus suis renuntiare volebat, imo
„ne Conventus quidem Cleri genera-
„les, quantumvis maxime vellent,
„præstare id poterant, tum quia con-
„cilio œcumenico a quatuor jam Sæ-
„culis in Galliis recepto derogare non

R 2

„pot-

Sæc. XVII. „poterant; Itum etiam quia in causa
 A. C. 1678 „communi & quando agitur de jure &
 „præjudicio Singulorum, ex regulis
 „utroque jure receptis oportet Singu-
 „los, quorum interest, consentire,
 „jam vero constat, neque me, neque
 „aliquem meorum prædecessorum con-
 „sensisse, aut procuratoribus, aut de-
 „putatis ad Conventus generales mis-
 „sis mandatum in hac causa transi-
 „gendi dedisse. Neque etiam credidi,
 „me declarationibus a Majestate Vestra
 „in hac causa editis posse acquiescere;
 „multoque minus earum executionem
 „pollicitus sum, nec unquam adduci
 „passus, ut juramenta fidelitatis in acta
 „publica referri permitterem, quod Ar-
 „gumentum erat admissæ Servitutis.
 „Non ergo intelligere possum, qua ve-
 „ritate dicatur, universalem Regaliæ
 „causam fuisse in contradictorio judi-
 „cio, plenaque cognitione judicatam.
 „Sed præsertim particulares pro Apa-
 „mensi Ecclesia rationes sunt, ob quas
 „Regaliæ subdi non potest; cum enim
 „& Alexandro VII. Pontifici Maximo,
 „& Majestati Vestræ placuerit, pontifi-
 „ciis regiisque diplomatibus vitam re-
 „gularem, ac bonorum communionem
 „juxta regulam S. Augustini in hac Ec-
 „clesia stabilire, idque etiam quam-
 „plurimis Decretis in parisiensi Parla-
 „ment

„mento ac iudiciis contradictoriis con- Sæc. XVII.
 „firmatum fuerit, admissa semel Re- A.C. 1678.
 „galia necessario sequitur, fructum ope-
 „ris tam pii, & ex quo in publicum
 „bonum tantum emolumentum, ac ædifi-
 „cationis processit, plane corruptum
 „iri, cum illi, qui titulo Regaliæ be-
 „neficia occupavere, nunquam persua-
 „dendi sint, ut se exacto tyrocinio,
 „& ex Sententia Episcopi submittant.
 „Multo minus excludi se a sacra pro-
 „fessione, si inhabiles reperiantur, pa-
 „tientur, quod unum omnem viam Di-
 „sciplinæ solidæque pietati occludet.
 „Sed nec illud sperare ab iis licet, ut
 „videlicet privatis facultatibus abdi-
 „cent, vivantque in communi, & ra-
 „tiones Episcopo reddant; utque Priori
 „claustrali se subdant, quæ tamen ad-
 „eo necessaria sunt, ut paupertatis &
 „obedientiæ vota in Ecclesia Apamiensi
 „hactenus inviolabiliter observata, &
 „Decretis etiam Majestatis Vestræ mu-
 „nita consistere sine illis haud possint,
 „imo hujusmodi, ut vocant, Rega-
 „listæ illis potius alimenta vitæ neces-
 „saria subducent, qui bona fide titulo-
 „que canonico subnixi solemnem in
 „hac Ecclesia professionem emisissent,
 „seque insuper juxta perpetuam & an-
 „tiquissimam hujus loci consuetudinem
 „voto stabilitatis obstrinxerunt; nunc

R 3

„vero

Sæc. XVII. „vero & Domicilio exclusi, ubi voto-
A. C. 1678. „rum suorum observantiam expleant.

„& alimentis privati, quibus susten-
 „tentur, contra jus & fas, magnoque
 „animarum suarum discrimine, pari-
 „que scandalo Religionis vagari co-
 „gentur.,

„Hæc sunt, quæ Majestati Vestræ
 „necessario indicanda credidi, quorum
 „pondus ac solidam veritatem, si ipsi
 „dignata fuerit secum expendere, tan-
 „tum mihi de Majestatis Vestræ justis-
 „tia polliceor, ut omnino credam, non
 „solum approbaturam, quæ in hac cau-
 „sa a me gesta sunt, verum etiam tan-
 „quam muneri & ministerio meo fide-
 „liter explendo necessaria vehementer
 „commendaturam, suaque regia Au-
 „thoritate pondus ac vires addituram.
 „Et quamvis videri possim solus ego
 „hanc causam ab aliis desertam susti-
 „nere, placeat Majestati Vestræ per-
 „suasissimum habere, quotquot istarum
 „rerum notitiam, honestique curam
 „habent, nec privatis commodis tan-
 „guntur, omnes fere in hoc convenire,
 „ut fateantur, justissimam a me cau-
 „sam foveri, & inter illos ipsos, qui
 „Majestatis Vestræ declarationibus &
 „edictis contulere, alii aut jurium sac-
 „rum ignorantia, aut nimio studio gra-
 „tificandi Majestati Vestræ decepti sunt.
 „Nec

„Nec defunt, quos pudet poenitetque Sæc. XVII.
 „admissi. Illi vero, qui licet timide A. C. 1678.
 „anxieque mihi persuadere conati sunt,
 „ut contra Concilii Lugdunensis De-
 „creta Majestati Vestræ obtemperarem,
 „nullam aliam rationem adducebant
 „permovendo mihi, quam metum ma-
 „joris mali, perinde ac si Regia Maje-
 „statis Vestræ potestas veritatis ac ju-
 „stitiæ opprimendis serviret, cum po-
 „tius sperare debuissent, nunquam per-
 „missuram esse Majestatem Vestræ, jura
 „Ecclesiæ violari, si modo illi ausi es-
 „sent Ecclesiarum causam suscipere,
 „tantumque fiduciæ habuissent, quam
 „Majestas Vestra æquitatis.,

„Cæterum eos quod attinet, qui
 „Regaliam toto Regno extendere vo-
 „luerunt, pronum est cogitare, non a-
 „liam ob causam aggressos esse hoc
 „jus regium ultra antiquos legitimos-
 „que terminos præferre, quam ut Prin-
 „cipis favorem compararent, aut au-
 „gerent, aut etiam in distribuendis
 „beneficiis, quæ ad Majestatis Vestræ
 „collationem pertinent, majori Autho-
 „ritate fungerentur.,

„Quidquid istorum sit, ego interim
 „non omitto lacrimis precibusque
 „Deum Majestati Vestræ propitium
 „reddere.,